

10.

Q. F. F. J. D. O. M.
DISPUTATIO PHYSICA
Dicitur
**PRINCIPIIS SEU
CAUSIS INTERNIS
CORP: N.**

Quam
Consentu Amplissimæ Facult. Phil.
In Regia Aboënsi Academia

Sub PRÆSIDIO
Consultissimi & Praeclarissimi VIRI
Dicitur N. ERICI FALANDRI,
Hactenus Liog. Orient. jam designati Juris
Professoris, Fautoris & Promotoris ju-
giter colendi.

Pro Magisterii Philosophici privilegiis adipiscendis,
zandide Philosophicum examini submittit

ABRAHAMUS AB: THAUVONIUS,
Phyl. & Log. in Reg. Gymn. Wib. Lector.

Ad diem Anno Rep. Salutis 1682.

A B O Æ,

Impressa à Joh. L. WALLIO, A. T.

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino

DN. PETRO[•] BANG/
S. S. Theologiæ Doctori celeberrimo,
Episcopo Diœceseos Wiburgensis eminentissimo,
Gymnasii Ephoro & Consistorii Antistiti gravis-
fimo, Mecænati magno, devota animi venera-
tione æternum suspiciendo.

Nec non...

Pl. Reverendus, Clariſ: & Humaniss: VIRIS

DN. M. GABRIELI THAUVONIO,
Præposito & Pastori in Biärno meritissimo, ut Patruo
amantissimo, ita Fautori ac Benefactori indubitatissimo.

DN. M. PETRO H. CARSTENIO,
Celeb: Civitatis Neoviensis Pastori, adjacentiumq; Eccles.
Præp. vigilantissimo, Fautori ac Affini suo pl. honorando.

DN. JOHANNI THAUVONIO, Pastori
in Karisjlojo venerando, Patruo per dilecto, benefactori
propensissimo


DN. ABRAHAMO ZÖRNE/ Pastori
in Squoriz & Præposito bene merito, ut ante hac Benes-
factori propensissimo, ita & nunc Fautori colendo.

DN. BARTHOLODO WOMAN/ Pastori
in Niagu pervaigili, Affini & Benefactori gratissima mente
commemorando.

DN. PETRO PETRINO, Pastori in Kurkjoki
fidelissimo, Fautori & Affini singulariter honorando.

Illi ut Patrono & Mecænati summè ob-
servando, his ut Promotoribus, Fauto-
ribus, Benefactoribus propensissimis
disputationem hanc gradualem subs-
misse, reverenter & officiose dedicat
& offert

Auctor.



RATIO INSTITUTI.



Mnium rerum pars
potissima principiū
vulgo salutatur, qvo
collimans etiam
Phosphorus eruditorum Aristoteles i. Lib. Eth. c. 7. Magnum,
inqvit, momentum principia ha-
bent ad consequentia : quo circa
plus principium quam dimidium
totius est, eoq; fiunt multa per-
spicua eorum quæ indagantur.
Itaque haud inconvenienter fa-
cturi videbimus si de rerum na-
turalium principiis $\Delta\alpha\beta\gamma\chi\epsilon\omega$ ali-

qua adducamus; non territi vel
materiæ hujus subtilitate, quæ
Philosophorum etiam agmina di-
sturbavit & in varias opinionum
semitas distraxit, vel proprij in-
genij imbecillitate, nam est ali-
quid prodire tenus si non datur
ultra, pulchrumque dicitur non
invenisse modo veritatem sed e-
am etiam diligenter pervesti-
gasse. Quod ut commodius e-
xequi possimus & ne ἀμεθόδως
procedere videamus, dissertatio-
nem hanc duabus sectionibus
inclusam volumus, quarum pri-
or principiorum ὄνοματολογίαν, po-
steriore ejusdem περιγματολογίαν enu-
cleabit.

SE-

SECTIO I.

§. 1.

Etymōv hujus vociis quod concernit dicitur principium quasi primum rei initium.

§. 2.

Circa Homonymiam seu varias notiones & acceptiones sciendum Principium velut τὸ primum sumi vel Negative vel positive.

Principium negativè vocatur initium quod se aliquid prius non habet, & sic antequam aliud est, principium existit, hoc sensu filius ante quem non genitus vel natus est alias, primus dicitur, quamvis nullus porro post ipsum vel nascatur vel signatur.

Principium positivè est quod post se aliquid habet ordinemq; inter prius & posterius involvit, sicq; sumitur (1) famosiori significatione ac latè & quidem per (a) Excel- lentiā pro eo quod absolute primum est, quod est Deus (b) pro eo quod respectivè & recto modo primum est, quomodo Rex in suo Regno, Dominus in territorio, consul

in senatu primi dicuntur (2) strictè & Phis
Iosophicè ut hic loci pro eo à quo aliquid
quocunq; modo procedit ut inquit Thomas
par. i. Sum. Theol. q. 30. art. 1. ubi attenden-
dum ne hinc mox inferamus causas & prin-
cipia esse æquipollentia, namq; illæ arctiori-
bus terminantur Limitibus, hæc vero latius
divagantur. Ita ut omnis causa quidem est
principium, sed non omne principium cau-
sa. Sic via est principium itineris, aurora Di-
ei, non causa, quæ exempla angustam cau-
sarum naturam arguunt eamq; non admit-
tere cum principijs aliquam reciprocatio-
nem, de quibus fusijs differentes videantur.
Metaphysici qui hæc in actu signato seu in
propria sede tractant. Physici v. cum sit in
actu exercito de his agere, in omnia minuta
inquirere supersedemus.

§. III.

Synonymia v. frequens hic non occurrit
præterquam quod Græcis Αρχή, Latinis, Ele-
menta, Principia prima & generalissima, in-
terdum etiam cause C. N. nuncupantur &
ita etiam hic principij vocabulum sumitur.

S E.

SECTIO II.

§. I

Absolutis quæ circa ὄντας λογίας erant
observanda, ordinis ratione postulante
περιχωράτολογίας seu definitionem realem
perpendemus, verum antequam id facimus
nō ὅν imprimis eorum probandum seu quod
sunt, deinde nō πώνον expendemus.

§. II.

Aristoteles quidem nō principiorum su-
pervacaneum existimabat probare, quippe
sibi omnino habuit perswasum neminem fore
qui existentiam eorum revocaret in dubium,
igitur de ijs agit tanquam ab omnibus con-
cessis, interim tñ. cum variæ sectæ postejus
tempora & inter illas, Chartesiana illa sur-
rexerit cuius principium est de omnibus re-
bus dubitandum esse, & multi possent ad-
huc hodie inveniri qui cum Chartesio du-
bitationis alea ludunt, igitur uno saltē ar-
gumento quod revera in rerum natura sine
sufficerit affirmasse, ut deinde tutius ad affe-
ctiones & proprietates ire liceat. Sit igitur
hoc, quia novimus & indies ferè spectamus
corpora naturalia dissolvi & interire, cum i-
taq; interitui sint obnoxia arguitur ea esse

composita, quæ tantum ad dissolutionem habilia sunt: Si sunt composita iterum sequitur quod ex causis internis seu principijs conjuncta sunt quibus ortum debent & in quæ post dissolutionem iterum resolvuntur. Elementorum naturalium principia revera sunt.

§. III.

Quod a. concernit ipsam definitionem ignorari etiam à mediocriter doctis non potest, vix tantum pro Helena certatum in Græcia, quam pro illa, alijs Authoritatem Aristotelis pro immoto fundamento habentibus, qui hanc tradidit definitionem: *Principia sunt quæ neḡ, ex aliis sunt neḡ, ex se invicem sed ex quibus omnia.* Alijs v. præconceptis suis opinionibus nimis indulgentibus Aristotelisq; definitionem quamvis canitie sua venerabilem & à sanioribus omnimode approbatam, theonino dente rosam & funditus eversam satagentibus.

§. IV.

Nos neq; alicujus auctoritate neque præsumptione propria aut alterius permoti, quippe veritas non à *Subjecto* sed *Objecto* dependet, prænominatam illam definitionem tanquam firmo talo innixam amplectimur & cunemur, non tñ improbantes istam. Principiis

pia sunt quæ in esse corporis naturatis influunt,
namq; hæ descriptiones licet verbis descri-
pent, sensu tñ. quin bonus interpres rite eas
possit conciliare non facile negabitur, modo
securam quis potius gerat quam vocum.

S. V.

In ἀναλύσει hujus definitionis imprimis
juvabit præfari, scilicet definitionem datam
non esse talem quam vocant perfectam sed
quæ descriptio alias audit, quia perfecta de-
finitio est specierum, principii vero vocabu-
lum est genus, non igitur est quod quis mire-
tur eam negative describi. Nec obstat quod
doceat canon Logicus negative nihil esse de-
finiendum. Quia 1. negatio non explicat quid
res sit sed potius quid non sit. Quia 2. neq;
genus neq; differentia specifica ex quibus de-
finitio constat possunt esse negativa. Quia 3.
definitio & definitum, sunt realiter unum
& idem adæquate. Nam 1. loquitur canon
de definitionibus perfectis non imperfectis 2.
possunt negationes tolerari si natura rei &
penuria vocum id svadeant. 3. Dicitur defini-
tio esse vitiosa si tota fuerit negativa non si
ex parte tantum. Nam ultima verba in hac
definitione aliquid ponunt & non tollunt.
Deinde punctum etiam per negationem defi-
nitur sc. cuius nulla pars est: seu quod nul-

Jam habet magnitudinem, quæ descriptio & recepta & approbata, hic igitur eadem æquitate uti spero, licebit. Præterea quæ perfectè definiuntur in suo genere aliquid se prius etiam agnoscunt, cum a. id de principiis dici nequeat sequitur etiam illa non posse definiri, sed saltem describi ut etiam ab Aristotele factum, quem hac vice sequi consultum duximus.

S. VI.

Ex data hac descriptione non potest non natura principiorum dispalecere, modo omnia momenta quæ in illa continentur accuratiori judicij trutina perpendantur. Primum est, illa non fieri ex se mutuo, ratio est, quia principia sunt tanquam species disparatae & quemadmodum illæ ex se invicem non generantur, ita nec hæc à se invicem provenire queunt vi canonis Logicorum: *posito dispartitorum uno negatur alterum*, qui non in esse modo sed etiam in Fieri intelligendus venit. Hisce non obstat quod forma dicatur fieri ex Materia & privatione quæ pro principio a quibusdam venditatur nam 1. dicitur quidem sed non probatur. 2. qui inducato animo non est fascinatus facile concederit privationem non esse corporis naturalis principium, quod etiam à nobis infra-

pro

pro modulo ingenii prolixius declarabitur,
nec obstat 2. Materiam & formam fieri ex
causa efficiente, nam definitio loquitur de
principiis non externis sed internis.

S. VII.

Secundo dicitur in definitione principia
non fieri ex alijs, ratio est, quia si principia
semper fierent ex principijs alijs, tunc daretur
progressus in infinitum, à quo tn. abhorret
natura, & non magis principii sed princi-
piati potius mererentur nomen, quod in-
dolem eorum cum nomine funditus everteret.
se n. in naturalibus nihil prius agnoscunt.
notandum tn. hic non intelligi Principia
hujus vel illius individui numericè ita consi-
derata, sed specificè, quæ in spatio έξανυόρῳ
in creatione sunt producta, ut e.g. omnes res
creatæ sunt & fuerunt specificè ante infantiæ
eras aut perendie nascituri principia scilicet
Materiam & Formam, sed ideo Materia &
Forma in Infante non desinunt audire prin-
cipia.

S. VIII

Tandem innuunt requisita hujus descri-
ptionis, omnia naturalia ex illis fieri quod
etiam veritati consonum. Omnia namque
corpora naturalia ex Materia & Forma con-
sti-

stituuntur, quicquid contradicant novæ Philosophiæ Chartesianæ sectatores, qui Formam substantialem ut vanum commentum & ignorantiam libenter quoties sic fert occasio, salseq; rident & Peripateticos ridiculè hac in re procedere dicunt. Si enim interroges, inquiunt Peripateticum, quænam sit hujus vel illius proprietatis aut effectus Physici causa dicet mox, Forma. Si porro quæras, cujus naturæ & qualitatis sit illa Forma. Respondebit se id ignorare. Forma igitur eorum ignoratio est & Peripatetica illa Physica desinit esse scientia ac incipit esse ignorantia, quod scientiæ infestis cornibus adversatur. Similibus & etiam intolerabilioribus verbis Peripateticos subsannant & Formam quam statuimus substantialem, appellatione Peripateticæ ignorantiae sugillant. Ita ovant victoria ante collationem argumentorum ab utraq; parte & in jactatione stupendæ suæ scientiæ cardinem totius rei volvi sibi persuadent. Fatentur utiq; Peripatetici se Formas substantiales ignorare: at non in totum, sed in tantum. non dicunt se latere Formarum subst: existentiam, & quid sint in communi, operationes namq; earum aliaque argumenta validè satis probant quod sint aliquid, sive Naturæ quædam activæ, quæ

Mate-

Materiam & corpora regunt, actuant & informant. At quales sint, id nunc quodammodo intelligitur nunc prolsus etiam ignoratur. Jam vero quis est ille disputandi processus? quoniam laterē τὸ μῆνις sive qualis res sit, ergo nec τὸ ὄν admittendum, sive quod ista res revera existat. Num, quod ignoramus maxima ex parte naturam Angelorum nec possimus de eis habere conceptum positivum & absolutum quid & quales sint, sed negativum, comparatum & indirectum collectum ex operationibus, quid non sint, debemus negare esse Angelos? Num Medicus quod ignoret speciem morbi aliquando in ægro, tollit & annihilat sua ignorantia valetudinem in decumbente? ninimè. pars ratio etiam profecto est cum prænominatio illo Chartersianorum argumento quo tanquam invicto securius utuntur, & de quo etiam veluti re jam confecta, serio triumphant. Et quid multis opus? Chartersius ipse dicit expressè aliquid in rerum natura esse, et si modum ejus & rationem exactè non capiamus. vid. pr. ph. p. 2. §. 34. ff. utatur igitur hic eadem æquitate. Vetus etiam est canon: ab ignoratione modi, ad negationem rei non valet consequentia, remanet igitur quod propter ignorationem Formæ sub-

Substantialis ipsa essentia ejus in rerum natura non sit abolenda & neganda. Quod contra hanc assertionem inter cætera adferunt de Formis brutorum quas Peripateticos existimant aut pro materialibus aut pro intelligibilibus habere, non facit ad negationem. Formæ substantialis, nam Peripatetici Formas Brutorum nec pro Materialibus venditarunt, sic enim extensionem Physicam & partes extra partes haberent suaque natura exutæ Materiæ proprietates induerent, nec intelligibiles afferunt sed tertium admittentes, medium quandam naturam inter hæc duo constituunt, sc: inter spiritum & Materiam. Quæ conveniat cum Materia & differat à spiritu intelligente hoc nomine, quod proprie loquendo non intelligat. Differat à Materia & conveniat cum spiritu generali modo præsentiaz ad corpora informata, quantum dimensiones quantitatis penetrat quod nulla facit Materia. Sed hæc obiter & veluti in transitu tradere voluimus licet dignitas & amplitudo hujus controversiæ metetur ut in his exponendis paulo essemus prolixiores.

§. IX.

Huc usque de definitione principiorum dictum simpliciter & pro modulo ingenij, hanc jam excipit eorum divisio, dividuntur autem in interna & externa.

Interna sunt quæ per immissionem, corporis naturalis essentiam constituunt, ut Materia & Forma. Externa sunt quæ corporis naturalis essentiam non ingrediuntur sed extrinsecus illud constituunt, ut Efficiens & Finis. Illa saltem hac vice leviter tantundem brachio attingemus.

§. X:

Communiter quidem dividunt principia in constitutiva & transmutativa, sed non tam bene quam suete: Nam hanc divisionem firmo non inniti talo validis satis argumentis Clarissimus Sperlingius dat probatum, fundamentumq; ejus quod generationem & privationem volunt, penitus subruit. Nam quod generationem imprimis spectat, liquidò constat eam non posse esse principium, multo minus fundamentum & tanquam causam principiorum. Principium esse nequit C. N. quia omnibus corporibus naturalibus non competit, quæ condicio

ditio propria est principiorum. non enim generatur Cœlum, Stellæ, Planetæ &c. Nequè fundamenti aut causæ rationem de principijs absolvit, quia principia latius patent quam generatio. Jam cum principia competit alicui subiecto quod caret generatione, scire aveo quomodo in illo subiecto generatio, principiorum in illo subiecto existentium fundamentum sit. hoc enim postulat conditio fundamenti ut in eo sit in quo etiam res fundata, nam posito adiuncto necessum est etiam poni subiectum cui Adjunctum innitatur.

§. XI.

De privatione idem ferimus judicium & quod nullam mereatur in Physica sedem, multo minus ut principii titulo ornetur. Sedem non meretur: quia Physica scientia corporis naturalis affectionumq; ex eo resultantium est, non privationis, quam nemo liberi ingenij dixerit quid commercij habere cum rebus Physicis, nisi qui sese alicujus sectæ servituti mancipaverit, piaculumque duxerit vel latum unguem ab eorum sententia discedere. Ad hæc quæ principii nomine insignuntur debent esse communia C. N. sed tale quid non est privatio. Nam ubi non datur generatio, ibi non datur privatio, in cœlo, Sole,

Sole, Luna &c. non datur generatio, ergo nec privatio, & per consequens eliminanda præprimis ex tractatu communi Physices. Si inde Eliminanda, non est principium. Præterea non est efficiens, non Finis, nec Forma aut Materia. Dicunt illi qui privationi hoc nomen indulgent, illam esse generationis principium. Sed nec illud facile admitti potest. Forma & Materia in generatione requiruntur non privationis famulitum. Quid tandem intelligitur per privationem? quid nisi defectus, Negatio, absentia, & quanquam addant etiam connotari hic potentiam Materiæ ad formam educendam, tamen inde nil robotis accedit illorum assertioni qui privationem pro principio venditant, aliud est loqui de potentia Materiæ quæ obedientialis est ad formam suscipiendam, aliud de privatione. Illud enim accidens est sed hoc non nisi non Ens. Probatur id inde quia Materia res naturalis est, Forma etiam res naturalis est: Privatio Formæ & Materiæ contradictoriè opponitur, ergo res naturalis non est. Quid ergo? haud dubie in naturam non entis migrabit, & si concederemus esse terminum à quo generationis ut eam coacte appellare videtur Scharphius, Sagittarius etiam de ea multum dubitat.

Quid tamen inde opitulationis ad obtinendum titulum principij? Sed nondum privationem exautorant qui illâ tanquam ministra ad ingenij sui acumen ostendendum utuntur, rationibus namq; ubi destituuntur Phys. sacrum codicem in suum sensum torquere satagunt, dicunt n. Privationem apud Mosen tribus epithetis innui. Primo quando terra dicunt Tohu Vabohu. Deinde quando tenebrae dicuntur fuisse in superficie abyssi. Tertio notari nomine abyssi Alst: Encycl. L. 13. cap. 8. Sed ad illud breviter. Est hic petitio principij, num per hæc Epitheta privatio intelligatur, sub judice inquam lis est, aliud n. est loqui de tenebris & de abyso, aliud de privatione, tenebrae quidem dicuntur esse privatio Dei, sed non talis privatio quæ hic innuitur & pro potentia proxima ad producendum effectum accipitur, qvæ alias Privatio Physica communiter audit, verum potius Logica. Privatio, quæ est absentia entis Realis in subiecto cui per naturam inerat aut inesse omnino debuit. Sed hæc penitus scrutari, relinquo illis qui textum originalem scienter perlostrant, si potuerint ex his privationem infallibiliter inferre sententiaz eorum non refragabor. Claudio verbis Sperl. hac de re

ex Def. Syn. pag. 160. Nullius usus est illa speculatio de privatione, nihil ad res Physicas facit, ideo satius fuisse si ejusmodi altercationes nunquam fuissent motæ & inventæ.

§. XII.

Tantum de privatione in cuius scrutinio multi sterilem querunt voluptatem, nunc ad internorum & constitutivorum Principiorum definitionem accedemus, exorsi à Materia quia hæc primum est principium quod ad C. N. constitutionem requiritur.

Est autem Materia Principium internum ex quo corpus naturale constituitur.

§. XIII.

Estque vel *Simplex* vel *Composita*.

Simplex est pura Materia cujus essentiam nulla ingreditur Forma ut cœli, ignis.

Composita est integrum corpus ex quatuor Elementis conformatum ut Materia hominis, Ferri, Arboris &c.

§. XIV.

Materiam divisimus in *Simplicem* & *Compositam* non vero in *primam* & *seundam*, renitentibus licet multis, qui Materiam illam quam primam vocant introducendam volunt, eamque divisionem cum recta ratione convenire inquere fundamentum habere omnino nobis perswasum habemus. Nam ignem esse simplicem nemo ibit inficias, licet non semper quoad existentiam tamen quoad essentiam. Sic aqua impura etiam simplex est quoad essentiam licet non quoad existentiam. Præterea constans est assertio bonorum Philoso, ignem esse Elementum & Elementa esse omnia simplicia, ergo etiam ignis simplex erit necessum est. Cœtera corpora quæ ex Elementis conflantur composita, & ex Materiæ composita constare dicuntur, ut sunt Plantæ, Mineralia, &c.

§. XV.

Quod vero concernit primam illam Materiam de qua agit Aristoteles, pace tanti viri & ejus sectatorum nec non Chartesii cum suis complicibus, dico simpliciter eam nihil aliud esse quam purum

rum putum figmentum, neque enim inventum natura tale quid adhuc est inventum, neque recta ratio acquiescere potest argumentis quæ pro illius existentia militant, aut cognoscere quæ demum ejus sit natura. Dicunt triplici via nos pervenire posse ad ejus cognitionem, scilicet **Negatione**, **Analogia** & **Affirmatione**. Dicunt, sed ingenia studiosorum haud dubiè etiam dicendo seducunt, fingant adhuc quatuor ad illius cognitionem tramites & ipsi soli per eos eant, non credo invenient Materiam primam sed se caprasse umbram & in tenebris plusquam Cimmeriis oberassem deprehendent.

§. XVI.

Chaos illud quod Deus in principio produxit pro tutissimo habent asylo, illud fuisse Materiam primam quæ immediatè à Deo creata est, contendunt. Alst: Encycl: Ph. p. 672. Sed si attendantur proprietates & requisita Materiæ primæ tradita à Novo quodam Chartesii sectatore vix evinci potest chaoticam illam Massam materiam fuisse primam. Ita habet Author: Consistit autem ratio corporis seu essentia Materiæ primæ non in

pondere, duritate, colore, aliave sensibili
qualitate, nec in divisibilitate & impene-
trabilitate ; Sed in sola extensione posi-
tiva, absoluta sed generaliter spectata,
indeterminata & indefinita quæ reliqua-
rum passionum, qualitatum & potentia-
rum subjectum est. Ideoque in Prædi-
camento substantiæ ponenda. Singula
verba pariunt litigia, & quanto in ex-
positione est fusior tanto etiam videtur
obscurior. Dicit corpus esse & tamen
sensibus externis non posse percipi.
Phœnix rarius illud corpus quod aliquo
sensu externo non percipiatur. Quo-
modo novit Materiam esse corpus nisi
sensus percipiat. Omnia Elementa co-
rumque vires sensu cognosco , accedat
quis aquam, & tactu percipiet eam hu-
midam, ignem, & inveniet illum cali-
dum. Nec in divisibilitate consistere
rationem hujus Materiæ dicit, & tamen
habere extensionem absolutam. Sed quo-
modo Chaos ergo dividi poterat, cum
ex illo omnia Corpora sublunaria edu-
cta & formata fuerint. Nodum certe
in scirpo quærit quisquis Materiam hoc
modo descriptam investigare allaborat,
nec juvant argumenta quæ pro parte
affir-

affirmativa eruuntur ex mutua transmutatione, ex generatione, ex puro actu & potentia, ex compositione & de-niq; ex contrarietate principiorum. Nam hæc pleraque falsæ innituntur Hypothesi & masculè etiam à probatis authorib; refutantur, inter quos Sperlingius etiam suæ prodit vires, qui hunc in modum suam detegit mentem: *Hanc Materiam dico nullibi haberi in rerum natura.* Nequit applicari cælo, nequit stellis, nequit Elementis, nequit mixtis: quid ergo laboramus in re nihil? Tutius est prætercuntem sequi naturam, quæ explicat se ipsam. Singularia corpora singulares habent materias. Hæ Materiae vel sunt simplices vel compo-sitæ, sicut ipse corpora vel simplicita vel composita. De his tractat pars specialis Physicæ. In generali vero parte de Materiis in genere agen-

agendum, ut ē de forma, quantitate, qualitate in genere. Hæc doctrina ut facilima & evidentissima ita & certissima ac naturæ convenientissima. Sequatur illam alteram qui volet decipi.

S. XVII.

Et hæc jam dicta sunt de materiis, nunc alterum sequitur corporis naturæ principium *Formæ sc. rerum substantialis*, quæ quamvis hic ordinis causa post materiam tractetur, ipsa tñ. est multo nobilior, præstantior ac perfectior, quia principaliter à natura intenditur, cujus ardua cognitio deplorandam intellectus nostri imbecillitatem satis superq; arguit, nosque ut habet Subtilissimus Scaliger in luce rerum tenui caligare, in majore cœcos esse, in maxima insanire testatur. Interim tñ. cum omne rarum sit carum, difficultas nos à proposito non deterrebit. At dicet hic aliquis considerationem Formæ ad forum Dialecticum spectare, non v. Physicum. Ad hoc respondemus Logicum in genere & notionaliter, agere de Formis, prout in primis formatum, ut causa causatum, arguit: Physicum in specie, realiter & in actu exercito sc. quatenus est forma C.N.

S. XVIII.

§. XVIII.

Definitur autem quod sit
causa corporis naturalis inter-
na per quam corpus consti-
tuitur.

Varia Formæ ut & Materiæ nomina
diversasque significaciones prætereo si-
quidem videri possunt apud Physicos &
Metaphysicos.

§. XIX.

Rationes saltem aliquas allegasse, qui-
bus forma substantialis revera omnibus
Nat. corporibus inesse probatur, con-
tenti erimus. Prima est ex composizio-
ne: cum certum sit res Physicas esse com-
positas, etiam certum erit aliam partem
subst. componentem esse præter Materi-
am, quæ alio nomine vix commodius po-
test venire quam Formæ substantialis.

§. XX.

Secunda ex existentia rerum Physica-
rum deponitur, quæ existentis substan-
tiæ originem debet, non Materiæ, quæ
indefinita est & existentia carer, ergo
Formæ.

§. XXI.

Tertia ex effectis. Cum certum sit operationes rerum naturalium proficiuntur ex substantia & non aliquo accidente, sequitur quod vel Formæ sint adscribendæ vel Materiæ, non huius quippe se habet merè passivæ, ergo illi, ex qua omnes actiones & functiones veluti e fonte emanant. §. XXII.

Quarta ex distinctione. Sublatâ Forma substantiali omnes res essent eadem, cum materia in omnibus uniformiter se habeat & sic non daretur in illis conceptus convenientiarum & inconvenientiarum seu quod idem est non different genere & differentia. §. XXIII.

Hæc & similia argumenta quæ produci possent, nisi brevitas nobis fixa lex esset, satis probant esse formas substanciales, gratis ergo Chartesiani tam acriter contra Peripateticos insurgunt & variis machinis Formas substanciales eunt oppugnatum. Deberent intelligere non ita accuratè se nova hæc & multis novitatis avidis plausibilia dogmata adornasse, ut Peripatetici ipsis palmam si non præripuerint, ad minimum tamen ambiguum fecerint.

SOLI DEX GLORIA.

Ad

Clarissimum ac Pereximium

DN. ABRAHAMUM THAUVONIUM

Phil. Cand. Dignissimum, Lectorem Gymn.

Wib. & Consistorialem solertissimum,

Fautorem & Amicum hono-
randum :

Assiduus fueras quoniam Virtutis A-
lumnus,

Invigilans sacris noctesque diesque Ca-
menis:

Ergo tuis studiis digoissima præmia do-
cis

Vertice de Pindi transmittit Präful A-
pollo;

Laurea serta paraens capiti, nitidamq;
tiaram,

Et dígito gemmam: Tum dicit voce se-
renâ,

**THAUVONIUS valeat clarus sophiazq,
Magister!**

Acclamatio σχεδιασική

GUSTAVI BERNERI
Lect. Reg. G. Wib.

Princi-

Principiorum corporis naturalis cognitio, eorundemq; recta constitutio dectissimos olim viros baud parum defaccegarunt. Quin & hodie perplurimos inerronea dubitationum compara rapiunt, ut quam potissimum viam infestant, planè non videant. Causa difficultatis hujus, innumera discrepantium Authorum opiniones. Aristotelem insisteras, principiorum banc invenies definitionem: principia sunt, quæ nec ex te invicem, nec ex aliis sunt; sed ex ipsis omnia. Legas alium, aliam, eamq; à priori bac longè diversam, non sine magno perturbationis studio audies. Proinde non immixtò materiam base omnium difficultatem pronunciaverim, circa quam, qui cum laude versari avent, animum quisbuscunq; praecognitio opinionibus liberum atq; vacuum babebunt. Non hic Aristoteles, aut alterius alicuius Authoris autoritas veritati quicquam prejudicabit. Amicus Aristoteles, amicus Cartesius, amicus quoq; Sperlingius; Sed magis amica veritas. Rectissime ergo honoratissime Domine frater, in hac tuâ disputatione graduali, res liberas libere per-

bratias. Non hoc servilis ingenij indicium, non humi repente est; hoc tuo favo ne utriquam formidulosos illos imitaris, qui sibi diffidentes, alios se ita mancipant, ut unguem latum in aliquo ab illis discedere, pasculum pertinet. Sed mancipia hec nibil de se magni polliceri possunt. Tu vero bonotissime Domine frater, perge ut capisti, parijs in posterum curâ Phyiscal scientia incumbe, & brevi summum in hoc scientiae genere culmen concendas, a quo te non longe abesse disputatio Tua hec gradualiter eruditissime a te conscripta ad oculum monstrat. Hisce paucis vale, & diu Misericordie vivere!

Quod precor & voveo, votisque ardenteribus opto

fraterno
SAMUEL NYCOOP.
in Gymn. Wib. Lect.

Ad

VIRO

Clarissimo ac Pereximie Domino

A BRAHAMO THAUVONIO

Phil. Cand. meritissimo; Log. & Phys. Lectori
in Gymn. Reg. Wib. ut & p. t. Rectori accu-
ratissimo, Consistorii Assessori dignissimo
Fautor i maximè colendo.

Gloria magna, hercle, est clero de stemmate
nasci

Atq[ue] patrum clarum prodere posse genus,
Præmia digna etenim præbet clarissima virtus
Omnibus illius qui pia castra colunt.
Spern licet interdum remoretur longius illa,
Non minus idcirco gaudia lata dabit.
Si tibi jam ut caput pergit lucefcere Phæbus,
Non dubium quin ager fertilis ingenij
Confert ille Tuus fructus feliciter amplos,
Semina Magnifica q[uod] non peritura diu!
Nec piget in claris te fudavisse frutescere
Cum felix inter sidera clara nites!

L. Mq; licet subito gratulatur

JONAS THORINUS
Sch.Cath.Wib.Con-R.

Neminem prava illa Momorum cavillatio
commoveat, quâ culturam ingenuarum
artium sèpius lacescant. Norum namque
literis deditos in magno apud optimos quosq;
esse prætio. Pontifici cuiquam, tanto in ho-
nore erant omnes bonæ artis moderatrices,
ut cum de illis cuidam mentio incidisset, di-
xisse feratur. *Plebeis argenti, nobilibus auri,*
principibus gemmarum loco, literas esse de-
bere. Scilicet

Artibus ingenuis quaestus est gloria multis.
Deridendi itaque illi, qui studiorum præce-
pta & virtutis Surculos parvi pendunt, cum
ramen constet quicquid præclarum est, non
sine magno labore ac sudore nasci ac crescere.
Qua verò industria atque assiduitate literas
tractaverit Clarissimus Dn. LECTOR id ipsum
exquisita, pro honoribus Magisterii adipiscen-
dis, elaboratio de internis *Corp. N. principiis*
probè testatur. Hos itaque honores Aca-
demicos ipsi congratulor majoremque in
modum supremum Numen compello, ut
dehinc quoque omnia prospera ac felicia ei
contingant, quod votet

Nominis ejus estimator additiss:

ANDREAS Ahlgren.

Dicatum

Dictum est Taciti cedro dignissimum, gloriariam virtutis esse pedisse quam. Ratione namque quam maxime experientiae congruum est, eum merito honore cumulari qui indefesso virtutis exercitio ineubuit. Exempla passim obvia sunt, profanas namque, si quis inspicerit historias, inclariisse atque in summum honoris fastigium deprehendet euctos esse eos, qui in arte militari & bellica, egregium quid & dignum ediderint, imo in depraedicandis horum laudibus in tantum occupatos fuisse scriptores, ut nulla vetustas eorum famam & memoriam exedere possit. Fortitudo igitur bellica si tot eruditorum scriptis tam est inelyta, sua certe laude nequaquam in spoliandi sunt, qui cum musis laudabile habent commercium, atque literarum studio minus segniter incumbunt. Quorum in numero nemini secundus es Clarissime & Pereximie Dn. CANDIDATE pro honoribus Academici acutè satis differens, quod ut felicem atque prosperum non secum quam reliqua Tua incepta finem obtineat calum imploro, atque ut vergat in solarium Tuorum, honorem Tui ipsius, emolumendum rei literarie, patriæ commodum, præprimis verò in honorem Dei Ter Opt. & Max: utque ad id dignitatis subsellium tandem evebaris quod avita Thauonianæ virtuti hereditarium premium est,

Ad officia quævis paratiss:
GUSTAVUS EBRNE.